



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Viri spirituales & bonæ famæ non condemnandi ob humanos affectus
tanquam imperfecti, quia hi fuerunt in viris sanctissimis sine præiudicio
eorum sanctitalis. Cap. XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

eum mane exire à meretrice, à diabolo possessus fuit & ad sepulchrum Vitalij liberatus. Fecit autē & sanitates post mortē honorabile nomen S. Vitalij. Ad hoc confirmandum spectat, quod legimus l. 7. Vit. Patr. c. 1. n. 3. Dixit vnus ex Patribus: Quia inuenitur homo multā comedens & adhuc esuriens continens se, alter autem comedit parum, & satiatur. Qui autem multum comedit & adhuc esuriens continet se, maiorem mercedem habet, quā ille, qui parum comedit & satiatur.

175. Contingit plerumque inquit S. Dorotheus f. 6. vt aliquis ex fratribus rem aliquam in sua simplicitate agat, quae tibi fortasse non admodum arridet. At vero & aliquam aliam rem habet qua Deo mirum in modum, ac plusquam omnis vitae tuae cursus perplectatur: tu autem sedentarius & otiosus illum diiudicas, & animam tuam, ledis. Porro si contigerit vt defleat & labatur, vnde queso tu nosti, quanta ille pertulerit prius quo certamine sudauerit, aut quanto sanguine maduerit, fortasse fieri potest, vt error illius coram Deo tanquam iustitia reputeretur. Intuetur enim Deus agone & laborem illius & afflictionem, quam vt dixi pertulit, antequam errorem illum & casum incurrerit, proindeq; misereatur & ignoscit. Itaque Deus misereatur, & veniam illi praestat, tu verò condemnas & animam tuam perdis. Vnde queso tu nosti quam largas & vberes effundit ille pro delicto suo lacrymas ante conspectum Domini.

176. B. Maria Magdalena de Pazzis vt dicitur in eius vita 4. par. c. 31. inter varia monita quae dabat erat & hoc: si videris aliquam vilem & imperfectam cogita illam habere aliquod donum interius ob quod Deus complacet sibi in ea.

177. Septimum remedium. In examine, hoc peculiari modo scrutemur ne labamur. S. Dorotheus ser. 11. commendans examen conscientiae, tanquam medium à maioribus traditum ad expurgandos & expiandos nos, inter puncta quae iubet examinare ponit hoc Num, inquit, fratrem vidi res suas agentem, & temere eum iudicavi, aut contempsi?

178. Caucamus ergo & nos omnia iudicia temeraria omni conatu, Quod non erit difficile si bonum affectum habuerimus erga eum quē condemnatione dignum putamus, & non habuerimus malum affectum erga alterum cuius occasione alium condemnare volumus. Nam vt benè scribit S. Isidorus Pelusior. l. 1. ep. 310. Propter favorē haud acutè cernit: odium autem nihil omnino cernit Ideo optandum est vt quem admodum ait S. Dorotheus doctrina 16. Deus Opt. Max. det nobis statum mentis nostrae optimum, animumque praebeat pie dispositum, vt possimus & nos ex qualibet re proficere, atque lacrarī, & nunquam si iustè aut perperam de proximo nostro quicquam suspicari aut omnino cogitare. Quod si forte aliquando ex mala mentis nostrae perversa dispositione cogitauerimus, aut suspicari fuerimus, aditum mentis nostrae cogitationem in melius conuertamus. Siquidem proximi nostri malitiam & vi-

Lancicij Opusc. Tom. 2.

rositatem nolle agnoscere, miram in nobis parit cum Dei auxilio bonitatem, quā Deus summo-pere placatur. Illi gloria in secula seculorum. Amen.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Viri spirituales & bonae fama non iudicandi aut potius non condemnandi tanquam imperfecti, si humanis laborent affectibus, hi enim etiam in viris sanctissimis fuerunt, sed vel necessarii, vel ex humana fragilitate & surreptione, non ex malitia & imperfectione crassa quandoque erumpentes, sine prauidicio tamen eorum Sanctitatis.

179. Quod enim aliquando, immò saepe, necessarium sint exerendi affectus passionū quarundam, certissimum est ipsius D. Iesu exemplis demonstratum. Nam et si de illo praedictum est l. 4. 2. 3. Non clamabit, nec audietur vox eius foris: calamus qui cassatus non conteret, & linum sumigans non extinguet. Et quamuis se proposuerit ad imitandum Matth. 11. 29. quod sit mitis, tamen irascebatur quia id erat necessarium. Marci 3. 5. acriter increpabat Iudaeos Matth. 3. 7. & cap. 12. 34. vocans eos, progeniem viperarum, & cum inuenisset in Templo Iudaeos vendentes & ementes Ioan. 2. 15. factio ex fomiculo flagello, omnes eiecit de templo, boues quoque & oves, & numulariorum effudit as, & mensas subuertit. Quod fecit sanctissimè, & omnino ita facere debuit ex zelo diuinæ gloriae, verans ne faceret domum Patris sui, domum negotiationis. Ideo discipulis eius, qui non iudicabant temerè; viso hoc eius facto iracundo, recordati sunt: quia scriptum est: Psal. 68. Zelus domus tua comedit me. Irascimini, inquit S. Ambrosius l. 1. Offic. c. 21. vbi est culpa, cui irasci debemus. Non potest enim fieri, vt non moueamur rei indignitate, aliquā non virtus, sed lentitudo & remissio iudicatur. Plus addit S. Bernardus, aliās totus mitissimus & melleus epist. 69. ad Guidon. Non irasci, vbi irascendum est, peccatum est. Idem sentiendum est de similibus externis actibus passionum naturalium, qui quandoque apparent in Dei seruis, similes affectibus & actibus hominum valdè imperfectorum. Illi enim moti à Deo, ob causas supernaturales nobis ignotas illos & verbis, & factis ostenderunt. Sic S. Elias propheta per impetratum ignem de caelo, necauit centum & duos millos à Rege Ochozia. 4. Reg. 1. Sic eius discipulus S. Elifæus 4. Reg. 2. cum à pueris appellatus esset Caluus, Caluus, maledixit eis in nomine Domini: quae maledictio ad eum placuit Deo, vt statim egressi duo vrsi ex saltu, lacerauerint ex eis quadraginta duos. Denique & Sancti quandoque peccant, & temerè iudicant; (vt supra ostensum est.) Deo tum ad eorum humiliationem id

l ii 2 per-

permittente, tum vt sic occultet eorum sanctitatem hominibus. Qua de re sic S. Gregorius Papa scripsit lib. 3. dial. c. 14. *Magna est Dei Omnipotentis dispensatio, & plerumque contingit, vt quibus maiora bona praestat quadam minora non tribuat: vt semper eorum animus habeat, vnde se reprehendat: quatenus dum appetant perfecti esse, & non possunt, & laborant in hoc quod non acceperunt, nec tamen in laborando preualent, ne in his qua accepta habent, se maxime extollant, sed discant, quia ex se metipsis vincere parua vitia atque extrema non possunt.* Sic in S. Isaac a se loc. cit. laudato, virtutibus, miraculis, & dono prophetiae claro, Deus reliquerat nimiam quandam laetitiam, reprehensione dignam.

Sed de talibus Sanctorum Dei seruorum id potest dici, quod Deus dixit cuidam seruae suae de defectibus S. Gertrudis Benedictinae lib. 1. c. 4. p. 27. *insinuat diuinae pietatis. Electa huius meae, qui videntur defectus, iusto plus vocari possent anima eius profectus. Nam gratiarum abundantiam, quam in ea continud operor vix humana posset fragilitas a vento inanis gloria tueri, nisi virtutes eius cognitioni sub defectibus absconderentur. Nam quomodo ager quando fuerit fino vberiori impinguatus, eo ditio-riorem quoque necesse est reddat segetem; ita haec quoque ex cognitione suae infirmitatis, abundantio-riorem mihi referi fructum gratiarum actionis. Eam ob rem quoque pro singulis defectibus, vnde se aded humiliat, singula ei largitus sum dona, quibus in oculis meis omnem queat imperfectionem abolere. Nihilominus tempore oportunos, cum omnes eius defectus mutauero in virtutes, vt splendidum lumen anima eius fulgebit. Veniam ad exempla magnorum sanctorum, eorum affectus demonstrantia sine prauiudicio eorum sanctitatis.*

S. Basilus vir austerissimae vitae & eximiae sanctitatis, tamen non erat liber ab his affectibus ob quos nunc alij, solent pro imperfectis haberi. Ponderemus eius verba epist. 4. ad Gregorium sic scribit: *Vnde mihi alas columbae modo adfiscam: aut quo pacto senium meum iuuenescet? vt ad vos me, viri charissimi, queam recipere, & flagrans meum erga vos desiderium exattem, animique mei tristes curas apud vos deponam? & a vobis tribulationum solatium aliquod consequar? En quomodo vir mundo mortuus, solatia querit humana? Et epist. 56. Meletij literis ait se solari in afflictionibus.*

Et epistol. 5. ad Eusebium Episcopum Samofatorum. *Quaquam miseri licet simus, vno solatio vti visum est, nempe ad tuam mansuetudinem oculos figere, & ex tui notione & memoria animi dolorem mitigare.*

Et ep. 6. ad eundem non audet ob hyemem itineri se committere, & de domicilio quoque prospicere.

Epist. 7. dolet ob matrem mortuam: Nunc, inquit, quod vnicum habebam vitae solatium, matrem etiam hanc propter mea peccata amisi, tu me

me derideas, quod in hac aetate orbitatem desfersaleam.

Ep. 11. Cum statim post discessum tuum (Eusebi Sodalis) ad ciuitatem venissem, quantum desperatis ne tui animo delectus fuerim, quid attinet dicere, ad virum, qui non habet opus verbu instrui, sed per experientiam similia perpeti nouit.

Ep. 19. ad S. Gregorium Theologum fuisse valde describit, montem, rupem, praetium, fluminis decursum ad quem habitabat, & se recreabat.

Ep. 22. Gregorius Theologus ei respondens, iocatur obiciens illi quaedam in eius ciuitate, cum is alia in eius ciuitate notarit, & quasi exprobratit ioco.

Et ep. 23. ad Basilium sic scribit: *Tu quidem qua nostra sum dicteris & salibus impetto & conuellis, siue ioco id facias siue studio, nihil istud retulerit. Bisu modo & puerilem in modum exatitare, & amicitia nostra fruere. Etenim & que his sunt mihi cauilis videris, non vt cauilis, sed vt ad te ipsum traahas. Et multis cum eo iocatur de loco quem incolerat, quod si quis nostrum faceret, a tetrico aliquo censore pro leui & otioso haberetur. Et concludit: Tu si modeste ludum istum vuleris, vnde feceris: sin minus, plura addemus. En quomodo viti fenēs & serij & sancti, indunt verbis? Idem epistolam totam 24. ad Basilium consumit in commemorandis ludicris rebus olim cum Basilio transactis.*

Et ep. 25. idem ad Basilium sic scribit: *Quae haecenus de Pontica conuersatione scripsimus, ludicia fuisse, non seria. Et claudit epistolam eo more, quo familiaritate magna copulati faceret: Ego te spiro magis quam aerem, & hoc tantum vno, quod tecum vno, siue praesens, siue imaginatiombus absens. Quae si in literis nostrum alicuius legerentur amicitiae inordinatae nimiae a censore aliquo adferberentur.*

Epist. 26. Theologus ita ad Basilium scribit: *Si accusas quod te non satis pro dignitate admittis, quin accusas vniuersos mortales? Si vero propterea accusamur, quod te contemnamus, cur non eadem opem insaniam prius arguimus? sed id egre fers, quod philosophamur?*

Idem ep. 34. ad Basilium: *Contristatum te littera mea, at quem admodum ego assero, non recte neque iuste, sed admodum vane ac frustra. Et maeritum affsimulasti quidem, occulisti autem (quaquam istud sapienter fecisti) tristem vultum pudore. Causa autem m aeternae erat, quia Nazianzenus ei ep. 32. significarat quodam in conuiuio traductum fuisse Basilium, quasi male de Spiritus S. diuinitate sentientem.*

Idem ad Basilium epist. 35. *Non cessas multatibus nos imperere, tanquam imperitos, vides, adamicitiam ineptos, & ne vira quidem dignos, propterea quod commemorare ausi sumus qua perpepimus.*

Idem epist. 37. ad Basilium: *Quam calidum & equis*

equestre profectus in literis: At nihil est, quod admiremur te, quippe qui velis recens gustata gloria ostentare nobis, quam sis gloriam nactus, ut hoc te pacto gratiore reddas: quemadmodam solent pictores, qui anni tempestates depingunt.

Et epist. 37. in alia editione est epist. 39. Basilium capit: audio, inquit, te perturbari propter novam rerum illarum immutationem.

Et epist. 38. ad Basil. excusans se quod non venerit ad illum, causam moræ ait: *Ut mihi ipsi stabilitatem quandam ac vitam ab insipientia liberam procurem. Donec praterciant umbra eorum, qui iam irruunt, invidiæque zelo accensi indignantur.*

Et epist. 40. ad Basilium: Non pauca desinas animo & opere perficere simplicius quam cautius. Animus siquidem quod purior est malitia ac liberior, hoc minus liberum illi est, suspicionibus ut se accomodet & acquiescat.

184. Sed & ep. 44. Basilium exprobat cum Gregorio quod ad eum fixerit epistolam, quasi nomine patris scriptam: Deprehensum est, inquit, figmentum: erubui super hac epistolâ, optavimus terram nobis dehiscesse, quod fallacia, mendacij ac seditionis probro expositum esse. Alteram denud mibi tanquam ab ipso Episcopo missam reddidisti. Neque illam vere miserat Episcopus &c. optabam mihi cor esse lapideum, ne vel præteritorum recordarer, vel presentia sentirem, ut possemus more pecudum ad terram decussi omnem hanc perferre plagam. Et concludit epistolam tractans de suo adventu ad quosdam Episcopos: Si, inquit, non cum decenti forma vocatus fuero, (scilicet ab illis) ad veniendum, non feram.

Epistol. 53. Basilium Athanasio scribens ostendit eum sibi immeritò iratum: & de se non bene loqui: & se eius minas admodum ridere scribit.

Epistol. 71. famam persecutionum apud Alexandriam & reliquam Ægyptum perceptâ ait: *Ista nos stupefecerunt, & ipso prope sensu destituerunt. Accessit autem ad istas animi mei disceptationes, & ista cogitatio: An Ecclesias suas prorsus reliquit Dominus?*

Ep. 75. Fusè agit contra eos à quibus eius non tantum fides, sed etiam doctrina accusata erat, & ait, eos non debuisse se iudicare, & expressè eos appellat contumacios, nugatores: & contra deferendi consuetudinem fusè agit, & ait, id ferendum non esse, etiamsi id ancilla faciat ex pistrino, aut vnus aliquis supra modum nebulò ex istis circumforaneis.

Ep. 82. Cum commemorasset à quibusdam episcopis se tanquam novæ fidei sectatorem esse habitum, & verbis vehementibus ac ex pectore admodum calido prolatis, exceptum subdit effectum huius rei. Animo ita excusis, confisque & deiecti concidimus, ut non haberemus quod rogantibus responderemus. Et infra. Ad iam subitam & inopinam immutationem, animo percussus, ne respondere quidem poteram, palpitabat enim mihi cor, Lancij Opusc. Tom. 2.

lingua me destituebat, manus stupebat, & plane patiebar, quod animo soles parum sorti accidere, dicendum enim quod verum est, & tamen veniâ dignum. Deinde parum aberat quin odium erga humanum genus exorbitassem, suspectique mihi fuissent omnes hominum mores, arbitraris in natura humana non esse charitati bonum: sed verba quadam plausibilia ad ornatum & cultum eorum quibus vti cæli conficta, affectum vero illorum secundam veritatem non inesse cordi humano.

Ep. 7. ex epistolis 21 add. scribens ad Nectarium consolatoriam ob filioli mortem: Lectum episcopi literis (scilicet nunciantibus mortem filioli) quantum ingemuerim, quantum uel lachrymatus sim, quid attinet commemorare: etenim quis adeo est corde lapideo, aut sic prorsus humana natura expertus, ut nullo casus huius sensu tangatur: aut cuius animus mediocri tantum doloris affectu corripitur. Et infra: Si queritari & illachrymari propter hanc calamitatem voluerimus, totum huius vite tempus non susceperit: & si cuncti mortales nobiscum ingemiscant, afflictionem hanc planctu adæquare non poterunt, immo si fluviorum vnda in lachrymas vertantur, casus huius lamenta adimplere nequibunt.

Quomodo etiam S. Basilium ceteronitiis vultu sit in scribendo patet ex epist. 146. & 149. 151. 155. 157. 160. ad Libanium Sophistam, in quibus epistolis, posset à maleuolo condemnari quasi frustra tempus terens, officiosas texens literas, & plenas laudum ac quasi adulationum, quod ablit de vito serio & Sancto cogitare.

Ep. 173. petit ut quidam incarceretur, qui eus domus fores effregerat se absente: Etenim, inquit, non solum illa que ab ipso perpetrata sumus egre ferimus, sed & securitate demiceps opus habemus.

Ep. vlt. seu 180. librarium monet, ut rectè scribat, versusque rectos ducat: idque multis verbis & non sine aculeis inculcat. Sed præstat legere ipsius Basilij epistolam: Rectè scribito, versusque rectos ducito, & neque sursum manus, neque infra seratur ad præceptum, neque cogas calamum per obliquum, instar cancri Aesopici, ingredi, sed recta incedat, tanquam ad amicum artificum. Sane ubique æqualitatem serues, & quidquid inæquale est amputes. Quod enim obliquum est, indecorum est: rectum però iucundum est videntibus, non finens ad morem grauium legentium oculos susque deq. ferri, quod mihi vsu venit scripta tua legenti. Versuum enim gradus, vbi de alio ad alium transeundem est ad finem subsequentis rectus esse debebat. Vbi cum nullus ad sequentia patebat ordo recurrendum erat, requirendaque series ordinis per retro gradum inharendo sulco, perinde atque Theſeum filo Ariadnes inhaesisse serunt. Scribe itaque rectè, nec mentem legentis transuersis & obliquis scriptum in errores abduccio.

S. Paula aded sensit mortem mariti teste S. Hieronymo, ut videretur moti.

S. Bernardus ep. 1. ad Robertum Nepotem suum: Me miserum quod te careo, quod te non video,

quod sine te vivo, pro quo mori mihi vivere est, sine quo vivere, mori. Si quis nostrum hoc diceret, haberet censores quod esset nimium affectus sanguine iunctis.

188.

S. Gregorius Nyssenus disputat. de anima & resurrectione, quam habuit cum Macrina Sorore, initio scribit se ob mortem S. Basilij fratris sui fleuille vehementer, & cum impetu doloris paulisper transfusus ageret, postea oratione reprimere atque cohibere conabatur. rationibus suis tamquam aliquo freno incompressis, indecorum & inordinatum animi mei dirigens affectum: ac proferebat Apostolicum illud dictum, quod non angere & marere oporteat propter eos, qui obdormierunt. Solis enim iis qui spem non habent id accidere solere; atque ego cum cor mihi agritudine atque dolore etiam nunc undique ferueret & aestuaret. quo pacto id inter homines praestare posset, cum adeo naturalis quadam vniciue aduersus mortem querela insit.

189.

S. Chrysostomus in epistolis suis ostendit affectus humanitatis erga Olympiadem Diacnissam & alios, & literas aliorum frequentes expetit, & ut de sua valetudine scribat. Et ep. 21. petit vt se ament quam maxime illi Presbyteri &c.

Et ep. 13. ad Olympiadem, inter calamitates suas commemorat metum Vltorum in via quam susceperat. Et ostendit se nolle e quodam loco commodo ad alium incommodum & itinera molesta transferri. Et h. 16. ad pop. eol. i. Optavi terram mihi debiscere & immergi, quando Principem vobis loquentem audiebam & in tempestiuam hanc & irrationabilem timiditatem consolantem (conceperat autem metum, ob falsos rumores de audita militum aduentantium incurusione.)

Et col. 2. Neque nunc dolore obtenebratus ex pusillanimitate vestra in me ipsum redire possum, sic animum mihi indignatio & tristitia obsidet. Etenim confuso de pusillanimitate vestra multum animum nostrum detecit. Idem epist. 39. Chalcidiae sic scribit, quod malignus iudex posset adscribere inordinato affectui erga sceminam; Sinceritui amoris multa pignora, multa monumenta habemus. Ex quo efficitur, vt te, tanquam in animo nostro insculptam circumferamus: tuique memoriam ita teneamus, vt nulla obliuione deleri possit. Et epistol. 57. ad Adoliam. Te huc venire & cernere vellemus, atque in primis optamus. Hoc scripsit dum esset in exilio, in finibus terrae.

190.

Palladius in hist. Lausiaca §. 20. scribit discipulos S. Pachomij 140. in vno monasterio degentes cum vidissent se superari abstinencia logiore a cibus a Macario Alexandrino, omnes seditionem excitarunt aduersus suum praefectum. Vndenam nobis adduxisti hunc hominem sine carne ad nostri condemnationem. Aut eum hinc euece, aut vt scias nos omnes hinc recedimus. Qua re audit a S. Pachomius Deum rogauit, vt ei reuelaret quis esset, & cum intellexisset diuinitus eum esse Macarium Mo-

nachum, ei manum prehendit & ait. Ago tibi gratias, quod filios meos subegeris ne se iactent & magnifice circumspiciant propter suam exercitacionem: rogo ergo te, recede in locum tuum, nos enim satis adificasti, & ora pro nobis. Sic recessit.

S. Simeon Stylita, duas tribus sub sua columna contendentes, volens liberare a contentione, increpans appellauit canes: vt scribit B. Theodoretus in hist. Religion. sect. 26. Cum eis, inquit, esset mimatus, eos canes vocasset, vix sedauit contentionem.

S. Nazianzenas orat. de laudib. Basilij scribit (iuxta interpretationem Iacobi Bilij n. 85. & nocti Didaci de Celada in c. 5. ludit. §. 16. n. 60.) tanto merore se affectum fuisse vt nec tempore (quod meroris medicina est) mitigatus sit, eoque cum Basilij illustri & opulenta Caesariensis Ecclesiae presbitero fuisse. ille a Basilio, Sossimorum praese Ecclesiae exiguam pauperi & remota coactus fuerit: Cum caetera omnia, inquit, huius viri facta supra quam dici queat admirer, vnum hoc laudare nequeo. eam nimirum quam in nos adhibuit nouationem ac dissidentiam: cuius merorem nec tempus quidem exhaustire potuit. Hinc enim omnis inconstantia (scilicet mea) & perturbatio manauit, quodque philosophari nequiebam, aut certe non existimer.

Idem S. Nazianz. in orat. funebri S. Basilij sic loquitur paulo ante finem, quae videntur sapere vanitatem: Habes hac a nobis Basilij, hoc est a lingua quorundam tibi suauissima, atque boni & aetate equali &c. Atque hanc quidem a nobis orationem habes, nos autem vitam post te cum morte commutantes, quis laudaturus est? Si quid tamen laudem dignum orationi suppeditemus &c.

S. Leo, agit gratias pro se electo ad Pontificatum, iis qui eum elegerunt, & hanc electionem vocat Dei beneficium sibi praestitum, & fauorem electorum, & Sanctorum de se eorum iudicium.

S. Brigittam Christus reprehendit ob quandam impatientiam: sed praestat audire hoc ipsum prout refertur l. 6. eius reuel. cap. 6. Sponsa mea noua, inquit Christus, quadrupliciter nunc peccasti in ira tua. Primo, quod impatientem fusti in corde tuo ad verba: cum ego sustinui pro te verbera, & stas ante iudicem non respondi vnum verbum. Secundo, quia atrociora respondisti & exaltasti nimis vocem tuam exprobrando. Cum ego affixus clauis, suspensus in caelum, & non aperui os meum. Tertio, quia contemptum me, propter quem deberes omnia patienter tolerasse. Quarto, quia proximo tuo non profuisti, per patientiam enim tuam, qui errauit, ad meliora debuisset prouocari. Ideo volo quod de cetero non irascaris.

De B. Angela Fuliginata quomodo demonis impulsu praeter seipsam morderet, & esset intolerabilis, scribitur in eius vita 2. part. hist. Francisc. libr. 7. cap. 11. edita a Marco Vltiponense, & in alia vita eiusdem separatim italicè edita tractat. 1. & in alia latinè edita capite 19. quod fuse refert Delrius libr. 2. Disquis.

quis mag. quæst. 24. & Sanctius in c. 3. Job.

195. Similia de tentationibus S. Teresie scribit P. Ribera lib. 4. eius vitæ c. 17. ante medium.

196. B. Ludouicus Bertrandus Ordinis S. Dominici, vir eximia sanctitatis, & magnus nostræ Societatis amicus, & defensor, dum Valentia impugnetur à diuersis, vt scribit in eius vita c. 12. Vincent. Iustin. à quodam Religioso per contemptum, appellatus rûdis (ignorans) ei respondit, Luciferum fuisse doctum & tamen esse damnatum. Et quia in hoc responsum vilum est, hominis irati & impatientis, non multo post ille Religiosus est mortuus, acceptis deuotè omnibus Sacramentis, & è purgatorio ad B. Ludonicum paulo post venit igne cinctus & dixit: Pater condonam tibi illud quod tibi tali die di-

xi. non vult enim Deus vt paradysum intrem nisi hoc tibi condones, & pro me vnâ Missam dicas. Ille vero libenter condonauit, & sequenti die Missam pro eo dixit. post quam, primâ nocte ille Religiosus cum multâ gloriâ B. Bertrando apparuit.

197. Et c. 17. scribitur de eo: Cum medicorum iussu ob febriculam qua eum exedebat parcissimè comederet & biberet, ideoque magnâ fame & sitis vrgeretur. aduocatum ad se authorem eius vitæ, rogauit per Christi vulnera, & per amorem B. M. V. vt peteret à medicis, vt illi exiguo liquori qui ei dabatur, aliqua panis mica admiscerentur, quod cum factum esset, & cibus esset auctus, cepit melius habere & fortior reddi. Malignus, id exiguum mortificationem vocaret, sed Christi exemplum habuit, qui moriens & sitens in cruce, petiit potum.

